



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Osboriense Avctoritate Sancti Annonis Coloniensis archiepiscopi congregatum, quo in praesentia regis, post habitam disputationem, quae infra scribitur, Cadalous pseudopapa omnium ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

*id, quod ab eodem papa regi prestitum fuerat, aboletur. Sed absit a nobis, ut propter cuiuslibet hominis insolentiam rex, qui innocens erat, quantum ad nos, rem sui iuris amittat: & quem, auctore Deo, votis omnibus prestolamur, ad imperiale fastigium non permittemus ob alienam culpam regia dignitatis incurrere detrimentum. Hæc de Pseudosynodi decreto per infami defensor Romanæ ecclesiæ.*

ANNO  
CHRISTI  
1061.

CONCILIVM OSBORIENSE

ANNO  
CHRISTI  
1061.

AVCTORITATE SANCTI ANNONIS COLONIENSIS archiepiscopi congregatum, quo in præsentia regis, post habitam disputationem, quæ infra scribitur, Cadalous pseudopapa omnium acclamatione est condemnatus, & Alexandri legitime facta electio est confirmata, anno Domini MLXII. ipso festo sanctorum Simonis & Iudæ.

*Disceptatio synodalis inter regis aduocatam & Romanæ ecclesiæ defensorem.*

**I**PSO exordio Petrus Damiani eiusdem operis auctor compellans impium Cadaloum antipapam, post alia, quæ in eum dixerat, hæc habet: Sed ad hæc gloriaris, & iactas: Rex me & imperatrix mater elegit: ad hunc apicem me regia celsitudo prouexit: sed cum hinc aula regia suum tueatur electum, illinc Romana ecclesia proprium defendat antistitem iam in solio constitutum, dignum est vt sanctorum atque prudentium sacerdotum multitudo conueniat, & hanc quæstionem ventilans sub canonici iuris auctoritate discernat. Quoniam & in proximo, vt speramus, fiet hic Osboriense Concilium, hic iam eiusdem Concilii constituamus velut in quadam tabella picturæ præludium. Iuxta iussionem ergo Danielis patrum throni sint positi, iudicium sedeat, libri aperiantur, & solutionis indiga quæstio in medium deducatur. Hic itaque Romanæ defensor ecclesiæ suas allegationes inferat: illic aduocatus regius propriæ partis argumenta depromat. Taceat Parma cum suo hæresiarcha: aduocatio tantum regia, & Romana inuicem colloquatur ecclesia: sanctorum vero sacerdotum erecti sint animi, vt & quæ vtrimque dicenda sunt conferant, & peroratae causæ iudicialiter sententiæ calculum ponant. Age igitur, defensor apo-



ANNO  
CHRISTI  
1062.

stolicæ sedis incipiat; deinde regius aduocatus, quæ sibi videbuntur ostendat.

*Defensor Romanæ ecclesiæ.*

Cum beatitudo vestra, venerabiles patres, super apostolicæ sedis negotio disputat, ad cunctas ecclesias pertinere, quod versatur in manibus non ignorat. Hac enim stante, reliquæ stant: sin autem hæc, quæ omnium fundamentum est & basis, obruitur, ceterarum quoque status necesse est collabatur. Omnis autem siue patriarchatus cuiuslibet apicem, siue metropoleon primatus, aut episcopatum cathedras, vel ecclesiarum cuiuscumque ordinis dignitates, siue rex, siue imperator, siue cuiuslibet conditionis homo purus instituit, & (prout voluntas aut facultas tulit) spiritualium prerogatiuarum iura præfixit, Romanam autem ecclesiam solus ille fundauit, & supra petram fidei mox nascentis erexit, qui beato vitæ æternæ Clauigero terreni similiter & cælestis imperii iura commisit. Non ergo qualibet terrena sententia, sed illud Verbum, per quod constructum est cælum & terra, per quod denique omnia condita sunt elementa, Romanam fundauit ecclesiam. Illius certe priuilegio fungitur, illius auctoritate fulcitur. Vnde non dubium, quia quisquis cuiuslibet ecclesiæ ius suum detrahit, iniustitiam facit: qui autem Romanæ ecclesiæ priuilegium, ab ipso summo omnium ecclesiarum Capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in hæresim labitur: & cum ille notatur iniustus; hic est dicendus hæreticus: fidem quippe violat qui aduersus illam agit quæ mater est fidei; & ille contumax inuenitur qui eam cunctis ecclesiis prætulisse cognoscitur. Cum hoc igitur vestra sanctitas indubitanter agnoscat, vos, qui non quilibet, sed nobiliores & egregii estis filii Romanæ ecclesiæ, pietatis viscera circa matrem vestram compatientes ostendite, & vtrum destrui debeat, sibimet eligendo pontificem, iudicate. Mirum quippe est, si, quod minoribus ecclesiis canonicus vigor attribuit, illi soli, quæ caput est omnium, non permisit.

Causa Romanæ ecclesiæ qualis.

*Regius aduocatus.*

Prolixa declamatio dedit attentionem, benevolentiam, atque docilitatem, & hoc potius iuxta consuetudinem fori iudicialis, quam secundum regulam Concilii synodalis:



vbi scilicet non magnopere curare debemus elucubrata locutionis vrbaneitatem, sed viua sententia potius puritatem. Ad querelam ergo coram sanctis sacerdotibus deponendam sufficiat nobis dicere, quoniam inthronizastis papam sine consensu domini nostri regis, ad iniuriam scilicet atque contemptum regiae maiestatis.

*Defensor Romanæ ecclesiæ.*

Ordinationem papæ factam diffiteri nec possumus nec debemus; regis autem iniuriam modis omnibus propulsumus. Sed videamus primo, si placet, vtrum papa sine rege potuerit fieri, & sic postmodum de regis disputemus iniuria.

*Regius aduocatus.*

Per te liquido nouimus, quia illi debent pontificem, cum ordinatur, eligere, quos sibi, postquam ordinatus fuerit, canonica decreuit auctoritas obedire: papæ vero, quia vniuersalis est pontifex, non modo Romanus populus, sed Romanus imperator, qui caput est populi, obedientiam debet: censendumne ergo est vt papam sine capite suo populus eligat, & ei quem non elegit imperator obediat? Constat ergo quod, nisi Romani regis assensus accesserit, Romani pontificis electio non erit perfecta.

*Defensor Romanæ ecclesiæ.*

Perhibendum est itaque iuxta vestrae disputationis articulum, quod neque Stephanus, nec Sixtus, neque Cornelius, non denique Clemens, non Siluester, non ipse beatus Petrus, papali nomine digni sunt, qui ab imperatoribus eorundem tempore electi non sunt.

*Regius aduocatus.*

Gentiles reges non sunt adhibendi ad huius, de qua loquimur, electionis exemplum: qui, quoniam ignorabant fidem Christianam, Christianorum non poterant ordinare pontificem. Ceterum Christiani principes semper Romanos elegere pontifices.

*Defensor Romanæ ecclesiæ.*

Qui mentitur in communi colloquio mendax dicitur; qui autem in præsentia venerabilium sacerdotum falsa protulerit, sacrilegii procul dubio crimen incurrit. Dixisti Christianos principes Romanos semper elegisse pontifices: percurre mecum ecclesiasticæ antiquitatis historias,

Roma-



ANNO  
CHRISTI  
1062.

Romanorum præfulum catalogum studiose disquire, & cum perpauca inueneris in electione sua regium accessisse consensum, confitere te perspicuum protulisse mendacium. Quis enim rex Antonii filium Damasum Hispaniensem, quis Innocentium Innocentii filium Albanensem, quis denique Zosimum Græcum Abramii filium elegit? Quis præterea Leonem Quintiani filium de Tuscia, quis Hilarium Crispini filium de Sardinia, quis Cælestinum Prisci Romani ciuis filium, quis Bonifacium, quis Anastasium, æque Romanos? Denique multos attexerem, nisi fastidium generarem. Sed ne me putes, non habentem copiam, ab eorum enumeratione deficere; quis imperatorum elegit Simplicium Tiburtinum, quis Felicem natione Romanum, quis Gelasium Afrum Valerii filium, quis Symmachum Sardinia præuincie filium Fortunati, quis Hormisdam filium Iusti natione Campanum, Ioannem origine Tuscum, Felicem natione Samnitum, Bonifacium Gibaldi filium, Mercurium Proiecti, Agapitium Gordiani, natura Romanos.

Quis enim regum electioni cuiuslibet istorum suum legitur adhibuisse consensum? cum eorum temporibus Romanæ reipublicæ Christiani principes præfuisse legantur, id est Valentinianus senior, Valens frater eius, qui occisus est in pugna Gothica prope Hadrianopolim, Gratianus, qui a Maximo tyranno peremptus est, Valentinianus iunior, qui necatus est a comite suo Viennæ, deinde Arcadius, Honorius, Theodosius, Ioannes ille qui apud Rauennam occisus est, Valentinianus tertius, qui in campo Martio est peremptus, Martianus, Leo, Maiorianus, Seuerus, Anthemius, Olybrius, Glycerius, Zeno, Nepos ille qui in villa sua occisus est iuxta Salonas, Augustulus, Anastasius, Iustinus, & ceteri Romani imperatores; quos euitandi laciniosi styli causa prætereo. Da mihi ergo eorum, quos enumerauimus, aliquem vel præfulem requirentem, vel principem assensum in electione præbentem, & ego do manum, ac te perhibeo laureandum: alioquin si dare non poteris, in hoc te conuictum per omnia perneceffe est fatearis. Quod autem beato Gregorio legitur adhibuisse Mauricius imperator assensum, & perpauca alii principes aliis promouendis, hoc di-



Et ait perturbatio temporum & tempestas horrenda bellorum.

ANNO  
CHRISTI  
1062.

*Regius aduocatus.*

Si mentiri est contra mentem loqui, temerarium est mendacii tam procaciter argui, qui non utique falsum, sed verum me dixisse putavi: tamen assentior, & in hoc superatum me esse non abnuo.

*Defensor Romanæ ecclesiæ.*

Edictum  
Constanti-  
ni.

Vt autem id ipsum adhuc manifestius pateat, & te super hac dimicandi materia perdidisse, tibi metipsum clarius innotescat, lege Constantini imperatoris edictum, vbi sedis apostolicæ constituit super omnes in orbe terrarum ecclesias principatum. Nam postquam supra corpus beati Petri basilicam fundator erexit, postquam patriarchium Lateranense in beati Saluatoris honore construxit, mox per imperialis rescripti seriem Romanæ ecclesiæ constituit dignitatem. Vbi nimirum beato Siluestro, \* suisque successoribus obtulit, vt regali more, & aurea corona \* plectatur in capite, & ceteras regii cultus infulas vsurparent. Verum beatus Siluester ornamenta, quæ sacerdotali congruere iudicabat officio, in proprios vsus assumpsit; coronam vero, vel cetera, quæ magis ambitiosa quam mystica videbantur, omisit. Cui etiam Constantinus Lateranense palatium, quod eatenus aula regalis extiterat, perpetuo iure concessit; regnum Italiæ iudicandum tradidit. Nam & ipse regis hæc verba sunt: Vnde, inquit, congruum inspicimus, nostrum imperium & regni potestatem orientalibus transferri & transmutari regionibus, & in Byzantia prouincia in optimo loco nomini nostro ciuitatem ædificari, & nostrum illic constitui imperium. Quoniam vbi principatus sacerdotum & Christianæ religionis caput ab imperatore cælesti constitutum est, iustum non est, vt illic imperator terrenus habeat potestatem.

\* forte  
ciulque

Audisti quia terrenus imperator non habet in Romana ecclesia potestatem: quomodo ergo sine illius arbitrio, qui potestatem ibi non habet, non licet eligi sacerdotem? Ipse vero Constantinopolim velut in secunda Roma perpetuo regnaturus abscessit. Longe vero post Theodosius imperator beati Pauli basilicam cepit; quo defuncto filius eius Honorius eandem basilicam ad cal-



ANNO  
 CHRISTI  
 1062.

cem vsque perduxit. Hi quoque Romanæ ecclesiæ priuilegium nihilo minus firmarunt. Quomodo ergo prærogatiuam sibi in Romani pontificis electione relinquerent, qui Romanam ecclesiam nequaquam sibi studuerunt subdere, sed præferre; non præcipere, sed parere; non præcellere, sed subesse?

*Regius aduocatus.*

Assentior plane, & ratum duco quod loqueris; sed esto quod nunc regia celsitudo ex antiquorum consuetudine principum hoc sibi met allegare non possit, verumtamen tu hoc negare non potes, quod pater domini mei regis piæ memoriæ Henricus imperator factus est patricius Romanorum, a quibus accepit in electione super ordinando pontifice principatum. Huc accedit quod præstantius est, quod Nicolaus papa hoc domino meo regi priuilegium, quod ex paterno iam iure susceperat, præbuit, & per synodalis insuper decreti paginam confirmauit. Cum ergo priuatus quisque a suo decidere iure non debeat, donec ventilato negotio iudicialis in eum sententia promulgetur, quo pacto maiestas regia prærogatiuam hanc suæ dignitatis amisit, quam & ex apostolicæ sedis liberalitate percepit, & ex paterno imperialis fastigii iure suscepit? Quo, inquam, modo in Romana ecclesia dignitatis adeptæ locum sine iudicio perdidit, qui Romanam ecclesiam non offendit?

*Defensor Romanæ ecclesiæ.*

Priuilegium inuictissimo regi nostro ipsi quoque defendimus, & ut superplenum illibatumque possideat optamus. Porro autem Romana ecclesia multo nobiliter atque sublimius, quam mater carnis, mater est regis: illa siquidem peperit, ut per eius traducem reuertatur in puluerem; ista genuit, ut Christi sine fine regnantis efficiat coheredem. Et cuncti liquido nouimus, quia rex, licet egregiæ indolis, tamen adhuc puer est. Quid ergo mali fecit Romana ecclesia, si filio suo, cum adhuc impubes esset, cum adhuc tutela egeret, ipsa tutoris officium subiit, & ius quod illi competeat impleuit? Quis nescit quia sacerdotem eligere puer ignorat? Sæpe mater iudicis tribunal irrupit, testes adsciscit, notarios conuocat, sicque per adstipulationes & rata, & insuper apicum monimenta om-



nia bonorum suorum filio iura delegat: interim tamen, vif-  
quedum ille ad iuuenilis ætatis incrementum perueniat,  
& rationis capax fiat, illa cuncta dispensat, omnia ordinat,  
ficque quod iam alieni iuris est patrimonium, ad propriæ  
disponit prouisionis arbitrium. Numquid ob hoc dicen-  
da est mulier illa filio suo concessa subtrahere? imo verius  
perhibetur, vt puto, pietatis studio deseruire. Quia quæ  
rudis adhuc filius dilapidare ac prodigere poterat, hæc  
illa sibimet apte disposita, caute retenta, & rationabili-  
ter ordinata conseruat. Carnalis ergo mater adiuuat fi-  
lium in rebusterrenis, & mater ecclesia filio suo regi præ-  
bere non debet auxilium in spiritualibus donis? Obmu-  
tescat ergo plectenda versutia, quæ scilicet hoc dam-  
nat quod prædicare debuerat; illi crimen imponere niti-  
tur, quæ pro beneficiis gloriam promeretur. Huc acce-  
dit, quia nonnunquam ob varietatem temporum \* sæpe  
mutandus est ordo causarum. Tunc enim, \* quoniam pon-  
tificem sibi Romana percepit ecclesia, tantæ simultatis  
fomes in \* seditionis ciues accenderat, tantus lior &  
odium tumultuantis populi corda turbauerat, vt de tam  
longinquis terrarum spatiis nequaquam regiæ clementiæ  
præstolari possemus oraculum. Nisi enim quantocius or-  
dinaretur antistes, perniciosus in populo gladius mutuis  
vulneribus defæuaret, & non parua Romanorum ciuium  
strages fieret.

\* videtur  
abundare.  
\* forte  
quando

\* forte  
seditio-  
nes

*Regius aduocatus.*

Obtende quod vis, argumentare quod placet, dum-  
modo constet quia nullatenus debuit immutari quod  
papa concessit, quod decreto constituit, quod scriptione  
firmauit.

*Defensor Romanæ ecclesiæ.*

Quid mirum si hominis carnis adhuc fragilitate circum-  
dati statuta mutantur, quoniam omnipotens Deus, qui  
videlicet omnia quæ futura sunt nouit, ea quoque, quæ a  
semetipso constituuntur, immutat? Nam ex eo quod pro-  
mittit, aliquando aliquid minuit, vel etiam totum subtra-  
hit, aliquando mala minatur, & non infligit.

*Regius aduocatus.*

Ea quæ proposuisti scripta declarentur exemplis. Quid  
est ergo quod Deus vnquam promisit, & minuit?



*Defensor Romanæ ecclesiæ.*ANNO  
CHRISTI  
1061.

Si non excidit, reminisci potes quod dixit Dominus ad Noe: *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est; eruntque dies illius centum viginti annorum.* Sed cum scriptura commemorat quingentorum tunc annorum extitisse Noe, quando hæc sibi Dominus loquebatur, sexcentorum tunc iam esse, cum cataclysmus erupit, liquido patet, viginti annos de præscripti numeri spatium fuisse subtractos, vitæque spatium, quod humano generi Deus promisit, imminuit, quia peruersitatis eorum reatus excreuit. Inde quoque per os patriarchæ Iacob promisit Spiritus sanctus, dicens: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est.* Et tamen nec temporibus Iudicum legimus viros de tribu Iuda semper super Israel tenuisse ducatum, nec reges ex eadem tribu principatum tenuisse vsque ad Christi reperiuntur aduentum. Constat ergo, quia Deus omnipotens sæpe quod homini promisit imminuit, quoniam homo quod Deo debuerat non impleuit.

*Regius aduocatus.*

Doce & ubi Deus promittit bonum aliquod, & efficaciter non impleuit.

*Defensor Romanæ ecclesiæ.*

Recordare quid dixit Dominus ad Iosiam regem Iuda: *Pro eo, inquit, quod audisti verba voluminis, & perterritum est cor tuum, & humiliatus es coram Domino, auditis sermonibus contra locum istum, & habitatores eius, & scidisti vestimenta tua, & fleuisti coram me: idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulcrum tuum in pace.* Et tamen paulo post scriptura dicit: *In diebus eius ascendit Pharao Necho rex Egypti contra regem Assyriorum ad flumen Euphratem, & abiit Iosias in occursum eius, & occisus est in Magedo, cum vidisset eum.* Ad Sedeciam quoque regem Iuda per Ieremiam dicitur: *Audi verbum Domini, Sedecia rex Iuda. Hæc dicit Dominus ad te: Non morieris in gladio, sed in pace morieris, & secundum combustionem patrum tuorum regum priorum, qui fuerunt ante te, sic comburent te: & vae Domine, plangent te, quia verbum hoc ego locutus sum, dicit Dominus.* Quod nimirum quomodo potuit fieri, qui seriem scrutatur historiae nunquam poterit inuenire. Nam postquam a rege Babylo-



nis semel est captus, Babyloniamque translatus, nunquam legitur vltius ab eius vinculis absolutus. Iusto ergo iudicio subtrahit Deus nonnunquam homini bona quæ promittit, cum rebellis homo illius seruare mandata contemnit.

*Regius aduocatus.*

Prosequere etiam, quomodo Deus quod minatus est non infligit.

*Defensor Romanæ ecclesiæ.*

*Ion. 3.*

Nemo, qui limen ecclesiæ terit, ignorat quia Ionas ad Niniuen a Domino missus exclamauit, dicens: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Sed quia ciuitas illa ad Deum toto est corde conuersa, nequaquam, iuxta minacem Domini sententiam, excidii est euerfione delata. Cum ergo Deus omnipotens non modo verax, sed & ipsa sit veritas, inuiolato consilii sui manente proposito, exterioris iudicii sui sæpe variat ordinem, iuxta humani siue probi siue improbi meriti qualitatem, quatenus & a prauitate correctus, quod Deus iuste minatur euadat, & prolapsus in culpam nullatenus quæ pollicetur bona percipiat. Hinc est quod per Ieremiam dicit:

*Ierem. 26.*

*Bonas facite vias vestras, & studia vestra, & audite vocem Domini Dei vestri: & penitebit Dominum mali quod locutus est aduersum vos.* Hinc est quod ad Eli quoque per virum

*1. Reg. 2.*

Dei Dominus ait: *Loquens locutus sum, vt domus tua, & domus patris tui, ministraret in conspectu meo vsque in sempiternum. Nunc autem, dicit Dominus: Absit hoc a me: sed quicumque glorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

*Regius aduocatus.*

Recte plane cuncta\* proposueras, perspicuis roborasti testimoniis scripturarum, attamen ad superiora paulisper reuertere, & iuxta tuæ sponfionis elogium de domini mei regis iniuria rationem redde.

\* *ferre*  
*que pro-*  
*posueras*

*Defensor Romanæ ecclesiæ.*

Glorioso regi in eligendo pontificem absit vt nos intulerimus iniuriam, cum ad hoc nos, sicut superius dictum est, necessitas impulerit, non rapina, ad hoc, inquam, nos inuitos traxit imminens periculum ciuilibus belli, non lædendi vel minuendi huiusmodi imperii.



*Regius aduocatus.*

ANNO  
 CHRISTI  
 1061.

\* exci-  
 dium

Ciuile bellum obiicis: imminens periculum in tuæ al-  
 legationis defensione prætendis: dicatur etiam, si placet,  
 quod si cælum rueret, terra \* subcicinium pateretur: per-  
 ge adhuc addens, quod \* pondus arefceret, terram dilu-  
 uium inundaret. Quid mihi omnia hæc, dum constet,  
 quia quidquid accideret, nullo modo sancti papæ sen-  
 tentiam debuisti infringere, nulla ratione synodalis decre-  
 ti mysterium licuit violare? sicut enim scriptura perhi-  
 bet, melius est vt oriatur scandalum, quam vt veritas re-  
 linquatur. Nam si hoc bellum timuissent beati martyres,  
 \* fierent procul dubio sanctæ militiæ desertores.

\* facti  
 fuissent

*Defensor Romanæ ecclesiæ.*

Non ignoras quod inter omnes sanctos martyres Pe-  
 trus & Paulus in apostolici senatus culmine possident prin-  
 cipatum.

*Regius aduocatus.*

Hoc sicut negare sacrilegium est, ita etiam affirmare  
 superfluum.

*Defensor Romanæ ecclesiæ.*

Eorum sunt nobis tenenda vestigia, eorum forma iu-  
 ris est actibus imprimenda, sub eorum magistra debe-  
 mus viuere disciplina.

*Regius aduocatus.*

Hoc vtique clarum est, perspicuum est: sed quid a te  
 portenti, quid præstigii, sub hoc funiculo inductionis ala-  
 tur, ignoro.

*Defensor Romanæ ecclesiæ.*

Tolle præstigium, intellige veritatem. Times me, tam-  
 quam tibi tendiculas substruentem. Audi Paulum de ca-  
 pite suo Petro veraciter perhibentem: *Petrus, antequam Galat. 2.*  
*venirent quidam a Iacobo, cum Gentilibus edebat; cum autem*  
*venissent, subtraherat & segregabat se, timens eos qui ex cir-*  
*cumcisione erant.* Cernimus ergo Petrum non rigidum, sed  
 discretum: timebat enim Iudæos, ne per occasionem  
 Gentium a fide recederent Christianorum: & ne perde-  
 ret gregem creditum, boni pastoris est imitatus exem-  
 plum; factus est enim Iudæis tamquam Iudæus, vt Iudæos  
 lucrifaceret: sicut Christus apparuit in forma carnis pec-  
 cati, vt a peccatis hominem liberaret: & cum legem



Moyſi non ambigeret abolendam, conſulens tamen ad-  
huc rudibus & infirmis fratribus, tenuit ad tempus um-  
bram legis, vt eos quoque proueheret ad perfecte noſcen-  
dam plenitudinem veritatis. In hoc ergo beatus Petrus  
diſcretionis nobis regulam dedit, quatenus aliquando,  
vbi tamen non plurimum noceat, declinemus aliquan-  
tulum a tramite rectitudinis, vt conſulere valeamus in-  
firmis.

*Regius aduocatus.*

Qui dicis quod Petrus aliquando legem Iudaicam te-  
nuit, cur non dicis quod in eadem epiſtola legitur, nimi-  
rum quia Paulus in facie eum reprehendit. *In faciem*, in-  
quit, *ei reſtiti, quia reprehensibilis erat.* Eique dixit: *Si tu, cum*  
*ſis Iudæus, gentiliter, & non Iudaice viuus, quomodo cogis gen-*  
*tes iudaizare?* Cum ergo illud præmiſiſti, iſtud quare ſilen-  
tio ſuppreſiſti?

*Defenſor Romanæ eccleſiæ.*

Quod Petrus egit compaſſione miſericordiæ, hoc Pau-  
lus arguit pro magiſterio diſciplinæ. Ille quod fecit diſ-  
penſatiue, vt infirmis tolleret ſcandalum; hoc iſte corri-  
puit, ne indiſcretus quilibet paſſim adduceret in exem-  
plum. In Petro diſcamus, vt periculo... imminente diſ-  
creti Pauli ſermonibus inſtruamur, vt ſanis rebus vita  
noſtra mere deſeruiat rectitudini.

*Regius aduocatus.*

Laudo quidem redditam rationem: ſed cum duorum  
apostolorum propoſueris magiſterium, mirum \* cum, præ-  
termiſſo Paulo, ſolum Petrum adduxeris in exemplum.

*Defenſor Romanæ eccleſiæ.*

Noli, frater, pueriliter currere, imo noli volare, ſed  
perge: pro grauitate quippe negotii prolatio eſt quo-  
que moderanda ſermonis. Audi etiam conſequenter &  
Paulum diſcretionis auream lineam noſtris oculis oppo-  
nentem, eiufdemque diſpenſatiue compaſſionis aucto-  
rem. Sicut enim apoſtolicorum Actuum teſtatur hiſto-  
ria, perambulabat Paulus Syriam & Ciliciam, confir-  
mans eccleſias, peruenitque in Derben, & Lyſtram: &  
ecce diſcipulus quidam erat nomine Timotheus, filius  
mulieris viduæ fidelis, pater autem gentilis. Hunc ergo,  
vt ad compendium veniamus, Apoſtolus circumcidit,  
quo-



ANNO  
CHRISTI  
1062.

quoniam Iudæos, imo Iudæis, qui in illis erant regionibus, timuit.

Cur itaque circumcidit fidelem hominem, non Iudæum, qui videlicet incircumcisus erat, & natione Gentilis, nisi vt discretionis studio deseruaret, ne Iudæi fideles in scandalum corruentes a fide recederent? Hoc etiam nunc ad memoriam redit, quoniam aliquando iuxta morem Nazaræorum comam ex voto nutriuit, & postquam nauigasset in Syriam, in Cenchris positus caput iuxta legis mandata totondit. Refert adhuc Lucas sacræ scriptor historiarum: *Cum venissemus*, inquit, *Hierosolymam, libenter suscepunt nos fratres*, & sequenti die Iacobus & omnes seniores, qui cum eo erant, euangelio illius comprobato, dixerunt ei: *Vides frater, quot millia sunt in Iudæis, qui crediderunt in Christo, & omnes æmulatores sunt legis. Audierunt autem de te, quod discessionem doceas a Moysse eorum qui per Gentes sunt Iudæorum, dicens non debere eos circumcidere filios suos, nec secundum consuetudinem ingredi. Quid ergo est? utique oportet conuenire multitudinem; audient enim te superuenisse. Hoc ergo fac quod tibi dicimus: Sunt nobis quatuor viri votum habentes super se: his assumptis sanctifica te cum ipsis, & impende in illis, ut radant capita; & scient omnes quia quæ dete audierunt falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem. Tunc Paulus assumptis viris, posteriori die purificatus cum illis intrauit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro vnoquoque eorum oblatio.*

Cur itaque Paulus iuxta ceremonias Iudæorum caput rasit, nudipedalia exercuit, sacrificia obtulit, & legem destruens, legis præcepta seruauit? cur, inquam, hæc omnia, nisi vt his qui ex Iudæis fideles extiterant scandalum tolleretur? formam suscepit ægritudinis, vt morbos auferret ægrotis: seruauit ceremonias legis, de quibus tamen in epistola dicit: *Quæ mihi fuerunt lucra, facta sunt detrimenta*, *Philip. 3.* & propter Christum arbitror velut stercora: circumcidit hominem, & tamen hoc terribiliter clamat: *Dico*, inquit, *Galar. 5.* *vobis, quia si circumcidamur, Christus nihil nobis proderit. Quod, quæso, maius peccatum esse poterit, quam Christum perdere, Christianæ religionis regulam violare, Iudaicæ legis ritus inducere, nouam euangelii gratiam impugnare? & tamen hæc apostolus Paulus in superficie fecisse conspi-*



citur, ne in ipsis nouæ fidei rudimentis mentes adhuc teneræ scandala paterentur. Quantum namque in exterioribus cernitur, Cerinthus & Ebion nil pene peius inueniuntur egisse quam Paulus, qui nimirum in Christum credentes, propter hoc solum a patribus anathematizati sunt, quia legis ceremonias Christi euangelio miscuerunt, & sic noua confessi sunt, vt vetera non mutarent. Sed ecce cum dicitur, quoniam Iacobus, & omnes seniores hoc Paulo consilium dederunt: omnes ergo discipuli, quod Paulus fecit pariter fecerunt; vnumque scilicet habent in hoc meritum, & qui fecit, & qui faciendi dedere consilium.

ANNO  
CHRISTI  
1062.

Si ergo ipsi principes mundi, quorum legibus parent non modo regna terrarum, sed ipsa etiam celsitudo cælorum, non dubitauere pro paucis, qui tunc erant, hominibus in tam periculoso negotio condescendere, cur nobis vtique paruulis, & infra eorum vestigia longe iacentibus, non licuit innumerabili Romanæ vrbs multitudini subuenire? Sed quid apostolos loquimur scandalum cauisse debiliū, & nouiter conuerforū; cum & ipse illorum magister & Dominus, cuius nimirum omnia sæcula substernuntur imperio, ad nostræ imitationis exemplum, scandalum præcauerit Iudæorum? *Simon, inquit: Reges terræ a quibus accipiunt tributum? a filiis suis, an ab alienis? quo respondente, Ab alienis: Iesus subiungit: Ergo liberi sunt filii. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte bannum: & eum piscem qui prius ascenderit tolle, & aperto ore eius inuenies staterem: illum sumens, da eis pro me & te.* Ad molliendum ergo rigorem rectitudinis, ad tuendam virtutem discretionis, si tibi Petrus non sufficit ad exemplum, iunge & Paulum. Quod si procaci contumaciæ nequeunt vterque sufficere, pudeat te vltra Iesum per dicacitatis ineptiam proflire: *Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti.*

*Regius aduocatus.*

Discretionis virtutem tot scripturarum testimoniis approbatam improbare non possumus; sed absit vt vlla virtus sit tam sublimis, tamve præcipua, cuius tuendæ studio in anathematis barathrum corruere debeamus. Nam cum omne, quod nobis ex diuina lege præcipitur, ad hoc



ANNO  
CHRISTI  
1062.

procul dubio tendat, vt nos Creatori nostro societate æterna coniungat; si nos ab eo, quod absit, per maledictionis sententiam contingat abscedere, quæ virtus, quæ discretio, quæ, sicut dicitur, pia compassio tam incomparabile damnum nobis poterit compensare? Sane si propter hoc solum virtus appetitur, vt omnipotentis Dei societas acquiratur, qualis iam illa virtus esset, quæ nos ad diuini contubernii societate repellat?

*Defensor Romanæ ecclesiæ.*

Hæc cur prosequaris, quia nobis occulta sunt, euidenter expone.

*Regius aduocatus.*

Synodalis enim decreti pagina, quam cum Concilii totius assensu beatus Nicolaus papa constituit, cui quippe manus articulum indidit, quam tot episcoporum venerandus celebrisque Conuentus subscriptione firmavit, anathematis vinculo iuxta morem carere non potuit. Vnde vos pro compassione, vel condescensione, nescio quam dicitis, furentis populi, nequaquam vosmetipsos deberetis tam inenodabiliter sententiæ nexibus irretire. Ridiculum quippe est, sic obrutum de voragine marini fluctus erueret, vt ipse compellatur ereptor vndosis procellarum spumantium cumulis subsidere.

*Defensor Romanæ ecclesiæ.*

Cum hæc inconsultius loqueris, Andabatarum aduersum me more configis, qui nimirum dum clausis semper oculis pugnant, alios quidem vulnerant, sed quomodo seipos a vulneribus tueantur ignorant. Dicitis, quia nequaquam debemus in anathema corruere, etiamsi per hoc valeamus infirmis fratribus subuenire. Huc vibraisti gladium, tentasti vulnus infligere, sed tibimet vbi clypeum opponeres non vidisti. Numquid tibi iam de memoria excidit quod superius protuli, quoniam beatus Paulus in epistola sua dicit: *Quia si circumdamur, Christus nihil nobis proderit?* Et tamen quod tam districte prohibuit, ipse pro caritate fratrum infirmantium, ne scandalum paterentur, impleuit. Quod enim maius siue deterius poterit quis anathema subire, quam cui negatum est Christum pro sui reatus damnatione prodesse? Nam cui Christus non prodest, procul dubio anathema est: ni-

*Concil. Tom. 25.*

Nnnn ij



hilque est aliud anathema aliquem fieri, nisi a Christi, in quo benedicuntur omnes gentes, societate repelli. Si ergo Paulus hoc anathema pro caritate fratrum subire non timuit, imo prorsus euasit, cum non qualemcumque hominem, sed Christianum utique discipulum circumcidit; tu, quæso, ubi cordis oculos amisisti, qui, quod Apostolus fecit, non faciendum esse testaris? ipse enim dicit: *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.*

*Regius aduocatus.*

Verisimile est, quod sicut Paulus coapostolum suum Petrum de iudaizandi rediuiua usurpatione corripuit; ita nihilo minus & in semetipsum, postquam discipulum circumciderat, reprehendat: nec mihi hoc aliter unquam poterit persuaderi, nisi fortassis in eius verbis aliquatenus valeat inueniri.

*Defensor Romanæ ecclesiæ.*

Ut nullus ambiguitatis næuus in tua mente remaneat, ut nulla cor tuum super hoc nogotio deinceps caligo confundat, audi quid idem Paulus ad Romanos dicat: *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia est mihi magna, & continuus dolor cordi meo: optabam enim ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ.* Ecce Paulus, cum non sit sicut nos, necessitate coactus, sponte ac voluntarie desiderat anathema esse pro fratribus; & tu mihi proponis anathema timendum, ubi me perspicis & ineuitabili prorsus necessitate fuisse constrictum, & caritatis studio, ne tanta fratrum multitudo corrueret, inclinatum. Audi etiam quod Moyse pro populo Israelitico postulans dicat: *Obsecro Domine, peccauit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facias, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Quod nimirum plener fiet, cum reprobis in iudicio dicet: *Ite maledicti in ignem æternum.* Ecce hic Paulus optat anathema pro fratribus fieri: ecce illic Moyse postulat ex Dei libro pro populi, quem ducebat, caritate deleri: & sola Romana ecclesia, quæ pietatem & caritatem toto terrarum orbe spiritua-liter & principaliter docet, ex imminentibus vibratis vndique gladiis filios suos, quos quotidie per sacri baptisma-



ANNO  
CHRISTI  
1062.

tis mysterium generat, liberare non auderet? *Maledictus* 1. Reg. 14.  
*vir, ait Saul, qui comederit panem usque ad vesperam, donec ul-*  
*ciscar me de inimicis meis.*

In hoc, sicut legitur, anathema Ionathas cecidit, sed eum ab imminente mortis sententia caritas, qua pro populo strenue dimicauerat, liberauit. Vis audire quid etiam de ipso Iesu, totius benedictionis auctore idem Apostolus dicat? *Christus, inquit, ut nos liberaret a maledicto legis, factus est maledictum.* Si ergo ipse auctor benedictionis æternæ, ut nos a vinculo maledictionis absolueret, maledictioni non dedignatus est subiaccere: si sancti quique vel noui vel veteris testamenti, dum sui capitis imitantur exemplum, & infirmis subuenire fratribus in periculis concupiscunt, anathematis subire sententiam nullatenus perhorrescunt: cui vni mihi niteris imputare peccatum, & caritatem ad hoc me induxisse non perspicias, quæ operit multitudinem peccatorum? Quomodo autem me cuiuslibet hominis sententia ligat, quem caritas ipsa, quæ Deus est, liberat? Erubescat igitur humani anathematis imputator, cum per caritatis gratiam mecum sit æternæ benedictionis indultor.

*Regius aduocatus.*

Cuicumque in disputatione certanti veritas ipsa defecerit, ineptum est adhuc per ambages atque versutias pertinaciter niti; ridiculum est diutius verbis prolixioribus immorari: de vinculo siquidem anathematis, quo te hæcenus arbitraber adstringi, ita te nauiter expedisti, ut nihil de cetero tibi valeat obiici, nihil super hoc capitulo rationabiliter possit opponi. Verumtamen adhuc video mihi materiam superesse, quam tibi valeam non sine causa reluctatori obiicere. Dicitis quia necessitate constricti, & velut angusti temporis breui spatio coarctati, nequam potuistis in electione pontificis expectare consensum regie maiestatis: quod profecto friuolum esse perspicuum est, constat enim tres plus minus menses interim decurrisse, ex quo sanctæ memoriæ papa Nicolaus occubuit, usque ad Kalendas Octobris; cum iste successit. Videamus ergo si per tam morosam longitudinem, trimestris videlicet spatii, non potuerit ab aula regia pragmatice sanctionis vobis apocha reportari.

Nnnn iij



*Defensor Romanæ ecclesiæ.*ANNO  
CHRISTI  
1062.

Ecce compellis me vulgato sermone depromere, quod imperialis palatii reuerentia decreueram silentio præterire: sed iuxta vestræ scilicet exactionis instantiam iam proferatur in medium opus egregium vestrum, sæculis omnibus inauditum. Rectores enim aulæ regiæ cum nonnullis Teutonici regni sanctis (vt ita loquar) episcopis conspirantes contra Romanam ecclesiam Concilium collegistis, quo papam quasi per synodalem sententiam condemnastis, & omnia quæ ab eo fuerunt statuta quassare incredibili prorsus audacia præsumpsistis. In quo nimirum non dicam iudicio, sed præiudicio, id ipsum quoque priuilegium, quod regi prædictus papa contulerat, si dicere liceat, vacuastis. Nam dum quidquid ille constituit vestra sententia decernente destruitur, consequenter etiam id quod ab eo regi præstitum fuerat aboletur. Sed absit a nobis, vt propter cuiuslibet hominis insolentiam rex, qui innocens erat, quantum ad nos, rem sui iuris amittat; & quem, auctore Deo, votis omnibus prætolamur ad imperiale fastigium, non permittemus ob alienam culpam regiæ dignitatis incurrere detrimentum. Sed vt totam inaudita calamitatis nostræ percurramus historiam, Stephanus cardinalis presbyter apostolicæ sedis, vir videlicet tantæ grauitatis & honestatis nitore conspicuus, tantis denique, sicut non obscurum est, virtutum floribus insignitus, cum apostolicis \* libris ad aulam regiam missus, ab aulicis ad-

Stephani  
cardinalis  
laudes.

\* literis

ministrantibus non est admissus, sed per quinque fere dies, ad beati Petri & apostolicæ sedis iniuriam, pro foribus mansit exclusus. Quod ille, vt pote vir grauis & patiens, æquanimiter tulit; legati tamen officium, quo fungebatur, implere non potuit: clausum itaque signatumque mysterium Concilii, cuius erat gerulus, retulit, quia regiis eum præsentari conspectibus curialium plectenda temeritas non permisit. In qua nimirum inopinata præsumptionis audacia tanta disputandi videtur inesse materia, vt & Demosthenis eloquentiam vincat, & copiam Tullianæ facultatis excedat. Vnde si vellemus iniuriam nostram districtius persequi, iure possemus obtendere, quia vos Romanæ ecclesiæ vosmetipsos dono priuastis, qui scilicet ei præiudicii vestri



ANNO  
CHRISTI  
1062.

gratis contumeliam intulistis. Ille quippe foedus amicitiae violat, qui gratis amicum per offensionis molestiam pulsatur. Nam & Dominus Iudaeis per Ieremiam ait: *Ecce feriam domui Israel & domui Iuda foedus nouum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum, pactum quod irritum fecerunt.* Ille ergo irritum reddit beneficii pactum, qui prior violat amicitiae sacramentum. Verumtamen Romana ecclesia non vult exaggerare quod pertulit, sed perseuerare cupit in munere, quod regio culmini liberaliter prorogauit.

*Regius aduocatus.*

Quod domino nostro regi reuerenter adscribis innocentiam, digne facis: quod autem administratoribus aulae publicae deuoluis e diuerso calumniam, videtur iniustum. Quidquid enim circa vos in huiusmodi casibus actum est, ad hoc nos regiae munus impulit, imperiale praecipuum, non propriae libertatis arbitrium.

*Defensor Romanae ecclesiae.*

Et ego tibi secundum cordis tui duritiam respondebo: dico enim quod Dei omnipotentis obtemperare sermonibus aliquando peccatum est.

*Regius aduocatus.*

Ad hoc quod asseris, mens humana concutitur, & Christianae pietatis ferre non valet auditus.

*Defensor Romanae ecclesiae.*

Quia hoc tantopere miraris, illud etiam consequenter adiicio, quia propter hoc quod Deo quidam promptus obediuit, funditus periit: alius ob id quod obtemperare contempsit, ad cumulum gratiae plenioris ascendit.

*Regius aduocatus.*

Incredibile est valde quod dicis: verumtamen si vales exemplis approbare quod loqueris, dic quis vnquam Deo obediuit, ac propterea periit.

*Defensor Romanae ecclesiae.*

Non te laet quod Iudaeus Iscarioti, qui iam accepto consilio eum traditurus erat, ait Dominus. *Quod facis, fac citius.* Postmodum quoque, cum ad eius osculum accedere praesumpisset, adiicit: *Amice, ad quid venisti?* subauditur perfice. Sed quia miser hic sermonibus efficaciter obediuit, irreuocabiler periit.



*Regius aduocatus.*

Huius propositionis ratione reddita, redde consequenter alterius, quis scilicet Dei omnipotentis obedientiam spreuit, & propter hoc copiosiore gratiam meruit.

*Defensor Romanæ ecclesiæ.*

*Jerem. 35.* Si placet, hoc in memoriam reuoca, quod Dominus ad Ieremiam dixit: *Vade ad domum Rechabitarum, & loquere eis, & introduces eos in domum Domini, in vnâ exedram thesaurorum, & dabis eis bibere vinum.* Et paulo post propheta subiungit: *Et posui coram filiis Rechabitarum scyphos plenos vino, & calices, & dixi ad eos: Bibite vinum. Qui responderunt: Non bibemus vinum, quia Ionadab pater noster præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos & filii vestri vsque in sempiternum.* Vnde postmodum Ieremias ait eis: *Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Non deficiet vir de stirpe Ionadab filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.* At ecce ille male obediens, perfunctus obedientiæ munere, cucurrit ad laqueum: isti feliciter inobedientes, perpetuum sui Conditoris meruere conspectum. Hoc etiam ad hoc valet quod superius dictum est, quia cum papam sine consensu regis eligimus, non debetis quod extrinsecus actum est diiudicare, sed potius quo animo, & qua intentione sit factum, diligenter attendere.

*Regius aduocatus.*

Hæc argumenta nobis domestica sunt, & nunquam deficiunt, quia de promptuariis proferuntur; semper enim possumus in prauo operis exhibitione delinquere: sed quia occulta est, ad puræ mentis debemus patrociniū conuolare.

*Defensor Romanæ ecclesiæ.*

Censetne semper debere iuxta rerum atque verborum superficiem iudicari? quid enim iuxta verborum strepitum magis est absolum, quam cum Deus Pater & Filius & Spiritus sanctus mediatorem Dei & hominum dicitur tradidisse? Ecce Christum tradidit Iudas, tradidit & Deus Pater: numquid non quasi similis casus videtur? ergone traditor est Iudas, & traditor Deus Pater?

*Regius aduocatus.*

Vnde probas quia Pater & Filius & Spiritus sanctus tradiderint Saluatorem?

*Defen-*



## Defensor Romanæ ecclesiæ.

ANNO  
CHRISTI  
1061.

Audi Apostolum dicentem : *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum.* Cui & Salomon ait : *Cum sis iustus, & omnia iuste disponas, ipsum qui non debet puniri, condemnas.* Quod autem se Filius tradidit, idem dicit Apostolus : *Qui me dilexit, & tradidit semetipsum pro me.* Quod autem & Spiritus sanctus tradidit Filium, Sapientia perhibet dicens : *\* Vnigenitus est enim Spiritus sapientiæ, & non \* liberauit maledictum a labiis suis.* Maledicti apud veteres dicebantur omnes qui suspendebantur in ligno : *Christus autem, vt Apostolus dicit, vt nos liberaret a maledicto, factus est maledictum.* Spiritus ergo sanctus liberauit maledictum a labiis suis, quia quæ per ora prophetarum de Christi passione locutus est non cohibuit, sed super eum sine dimissione compleri cuncta permisit. Ergo secundum te, qui non de cordis intentione, sed semper ex operum vis superficie iudicare, si Pater tradidit Filium, & ipse se tradidit Filius, & Spiritus sanctus, Iudas quid male fecit? Facta est traditio a Patre, facta est a Filio, nec non a Spiritu sancto, facta est a Iuda: vna res a pluribus facta est, sed eadem res in operatoribus decernenda est. Quod enim Deus omnipotens ex caritate, hoc Iudas fecit ex cupidine acquirendæ pecuniæ. Quod Deus fecit ad salutis nostræ remedium, hoc ille fecit ad explendum insatiabilis auaritiæ votum. Vides ergo, quia non quid homo faciat debemus attendere, sed quo animo & voluntate faciat diligenter examinare. Nam si sola dumtaxat exteriora perpendimus, inuenimus ipsum Dominum Saluatorem & dixisse quod prohibet, & fecisse aliter quod iubet.

*Quisquis, ait, dixerit fratri suo, Fatue, reus erit geben- nae ignis:* & tamen ipso resurrectionis suæ die duobus de se dubitatiue loquentibus ait : *O stulti & tardi corde ad credendum!* Dixerat etiam in monte discipulis : *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram:* in passione vero positus percutienti se in maxillam puero sacerdotis non modo non alteram præbuit, sed insuper dixit : *Si male locutus sum, exprobra de malo; sin autem bene, cur me cædis?* Et quomodo iam verum est, quod de illo Lucas ait : *Quod cepit facere & docere;* si quod docuit non impleuit? Sed procul dubio intelligendum est hoc eum

Concil. Tom. 25.

O O O O



*Act. 25.* præcepisse ad præparationem cordis, non autem ad ostensionem operis. Quomodo enim paratus corde non fuit in maxillam alteram cædi, qui pro hominum salute decreuerat toto corpore crucifigi. Paulus etiam palma percussus iussione pontificis, ait: *Percutiet te Deus, paries dealbate.* Quod minus intelligentibus videtur in verbo conuicium, sed in sensu prophetici tenet oraculi sacramentum.

*Ibidem.* Paries enim dealbatus hypocrisis est, sacerdotalem sub hoc nomine præferens dignitatem, sed occultans intrinsecus luteam malitiæ turpitudinem; nam quod humilitatis fuit mirabiliter custodiuit. Cum enim illi diceretur: *Principi sacerdotum maledicis? respondit: Nesciui, frater, quia princeps esset sacerdotum. Scriptum est enim: Principem populi tui non maledices.* Vbi patenter ostenditur, quanta idem tranquillitate dixisset, quod iratus intulisse videbatur. Quibus scripturarum testimoniis quid aliud edocemur, nisi quia non iuxta verba nuda semper debemus sententias iudicare, sed quo animo, qua mentis intentione proferantur fuscipere?

*Regius aduocatus.*

Dubia quæ proponis luculenter elucidas per exempla quæ subiicis: sed quæso te vt ad superiora paulisper redeas, & cur nos calumniæris vobis præiudicium intulisse, qui regis ditioni paruimus, patenter exponas.

*Defensor Romanæ ecclesiæ.*

Recte plane, ordinabiliter & congruenter, postquam omnis vestræ partis obiectio non rhetoricis argumentis, non coloribus oratoriis, non denique dialecticis syllogismis, sed viuæ potius atque perspicuæ veritatis est ratione purgata: versa vice iam dignum est, vt de vestris excessibus vel breuiter differatur: enimvero damnatio papæ tam grauis & inexpiabilis, vt non humano, sed diuino dumtaxat sit tractanda iudicio. Reges autem nostros tum ætatis infirmitas, tum fragilitas sexus excusat: quibus vtique non reatus adscribitur, sed eorum consiliariis, vt dignum est, imputatur. Ommissis itaque peruersitatibus ceteris, vt quid ignorante Roma, reprobum dominum in Romanum pontificem eligere præsumpsistis?

*Regius aduocatus.*

Electionem quidem, vt palam est fecimus, sed longe



ANNO  
CHRISTI  
1062.

prius Gerardo comite, aliisque Romanis, vt videbatur, ciuibus infatigabiliter insistentibus, ad hoc inducti sumus. Nam & abbas monasterii, quod dicitur cliuus Scauri, non defuit. Non ergo, vt asseris, ignorante Roma, sed præsente atque petente, Romani pontificis electio facta est.

*Defensor Romanæ ecclesiæ.*

In hoc pro me facis, dum Gerardo sub anathemate constituto te communicasse testaris: nam, vt de abbate & aliis interim fileamus, de Gerardo liceat tantummodo dicere, ecclesiæ hominem non fuisse, & Christi nequaquam pertinuisse fidelibus. Illud enim vnum caput anathemati maledictionique subiacuit omnium fere pontificum, quicumque Romanæ ecclesiæ eius temporibus præfuerunt: demum paulo antequam moreretur, propter comitem Anglum & archiepiscopum, quos a beati Petri liminibus redeuntes inuasit, spoliavit, & vsque ad mille Papiensis monetæ libras appendentia rapuit. Propter hoc itaque in plenaria Synodo, papa Nicolao præsidente, excommunicatus est, & extinctis luminaribus sub perpetuo fuit anathemate condemnatus. Perpendat igitur sancta Synodus, si illius eiusque complicum rata iure videatur electio, qui tam terribiliter atque horribiliter est ab ecclesiæ visceribus euangelica atque canonica falce præcisus, vt ne in morte quidem de Christianitatis fuerit titulo reformatus, & si per eum ordinari Romanam ecclesiam dignum fuit qui eius semper cruentus extitit inimicus, qui eam semper est feraliter persecutus.

Et quomodo summam debet ecclesiam ordinare, cui cuiuscumque limen ecclesiæ non licet attingere? Clamat Dominus ad Israel: *Anathema in medio tui, Israel; nec poteris stare contra hostes tuos, donec deleatur ex te qui hoc contaminatus est scelere.* Et hoc quare? Quoniam Achan filius Charmi de anathema Iericho ducentos dumtaxat argenti siclos, regulamque auream quinquaginta siclorum, & coccineum abstulerat pallium. Et ob hanc vilem videlicet summam auctor sceleris non modo lapidatur, sed & lapidum aceruis obruitur. Si propter illum hominem, qui dumtaxat vnum sacrilegium fraude commiserat, Israel ante suorum hostium faciem ruiturus erat, quo-



modo stabit ecclesia, si per virum tot criminibus inuolutum fuerit ordinata? præsertim cum & talem elegerit, in quem, teste mundo, omnium vitiorum sentina confluit. Pseudoepiscopi, apostolorum antichristi, aduersarium Christi, amici puellarum mangonem ecclesiarum. Quis igitur istorum iusto videbitur examine præferendus? Vtrum is quem elegit vnus vir perpetuæ maledictionis anathemate condemnatus; an ille potius, quem cardinales episcopi vnanimiter vocauerunt, quem clerus elegit, quem populus expetiuit, non ab extremitate terrarum, sed intra mœnia Romanorum, & in ipsius sedis apostolicæ gremio.

*Regius aduocatus.*

Tot a te rationibus redditis possemus fortassis adhibere consensum, si semel emissam deceret regiam maiestatem mutare sententiam: principali quippe gloriæ velut inconstantia næus imprimitur, si quodcumque suæ constitutionis edictum leuiter annulletur.

*Defensor Romanæ ecclesiæ.*

Quis nesciat rege Deum esse maiorem, & tamen dicere non erubescit: *Pœnitet me quod constituerim Saul regem.* Et per Samuelem ei denuntiat, dicens: *Proiecit te Dominus, ne sis rex super Israel.* Si pœnitere se Deus asseruit, qui futura cuncta cognouerat, cur homo suam mutare in melius sententiam erubescat, qui qualis & ipse quoque fit futurus ignorat? Ille de bono factus est malus; iste videlicet Cadalous dolofus de malo utique quod iam erat fit quotidie diaboli more deterior.

*Regius aduocatus.*

Quam inconulte nunc loqueris, qui diabolum deteriorari posse testaris, qui certe tam malus est, vt deterior esse non possit.

*Defensor Romanæ ecclesiæ.*

Mentior, si quod proposui scripturæ testimoniis comprobare non valeo. Nam, Isaia teste, dicebat superbus in in mundi principio: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Paulus autem dicit: *In fine mundi veniens aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Qui ergo tunc affectauit Deo se similem esse, in fine mundi iam deterior factus qui vult prior eminere. Per

1. Reg. 15.

Isa. 14.

2. Thess. 2.



ANNO  
 CHRISTI  
 1062.

quod manifesto colligitur diabolus adhuc in deteriora posse corruiere: & quia diabolus interpretatur deorsum fluens, Cadalous a cadendo dictus, ruinam populi sonat, ipsisque nominibus aptissime inuicem concordant. Dic ergo: Quomodo iste pontifex esset, quem non Romanus populus, sed vnus homo cum suis complicitibus, idemque non Romanus, sed suburbanus †, & non ecclesie filius, sed maledictus & anathematizatus elegit? Illene esset tuo iudicio pontifex, qui suam vendidit, vt Romanam ecclesiam obtineret? qui Romanos occidit in ore gladii, vt Romanus pontifex fieret? Dices me non debuisse pontificem sine consensu regis eligere; & magni pendendum mihi fuisse, vt populus non periret.

† Nemppe Gerardus Galerie dominus. Est Galerii opidulum prope Vrbem situm, ideoque suburbanum appellatum.

Ecce hinc beatus Augustinus Hipponensi ecclesie, Valerio viuento, præficitur: ecce illinc Ambrosius octauo die postquam baptizatus est, perceptis cunctis ecclesiasticis gradibus, episcopus ordinatur. In quibus vtique ob nihil aliud canonicæ auctoritatis ordo deseritur, nisi dumtaxat vt saluti populi consulatur; & tu mihi dicis in seruando populo ipsi regi me debuisse consulere, vt sibimet in dando consensu vnus epistolæ gloria proueniret. Nam vnde postmodum Romanus imperator fieret, si tunc se Romanus populus mutuis vulneribus peremisset? Porro autem, quia in constituendo pontifice Romana ecclesia a caritate regia non recessit, hoc etiam indicio est, quia cum in clero suo religiosus viris & sapientibus abundaret, non de propriis, sed eum qui regi tamquam domesticus & familiaris erat elegit.

*Regius aduocatus.*

Quisquis veritati, postquam patefacta claruit, obstinate renititur, Dei omnipotentis aduersarius non immerito iudicatur, cuius aduersum se iram inextinguibiliter prouocat, si veritatem, quæ ipse est, pertinaciter & arroganter impugnat. Nam vt ipse disputationis tuæ velut epilogum faciam, cum inter nos quæstio moueretur, vtum sine regis assensu Romani pontificis fieri possit electio, recensitis historiæ catalogis, tantam Romanorum imperatorum atque pontificum copiam coaceruasti, & velut nubem mihi testium opposuisti, vt his conspectis, ne mutrum quidem me aduersum te super hoc vltius fa-

Præmissæ disputationis epilogus.



cere libuisset. De anathemate vero, quod Nicolaus papa constituit, in quo etiam, vt verum fatear, totam victoriæ vim intentio nostra posuerat, tam inuictis scripturarum testimoniis, tam lucidis certe modo beatorum apostolorum, modo ipsius Domini Saluatoris, tuæ disputationis assertio se purgavit exemplis, vt & nos eatenus ignota doceret, & vos ab illius sententiæ vinculo patenter absolueret.

Deinde a domini nostri regis, quam dicebamus, iniuria, quæ scilicet nos aduersum vos acrius accendebat, tam strenue se purgavit oratio, vt euidenti clarescat iudicio, quia in eo, quod sibi pontificem populus Romanus elegit, maiestati regiæ potissimum ministrauit; nec ei, sicut dicebatur, priuilegium tulit, sed potius roborauit, dum non de Romana ecclesia, sed ex aula regia sacerdotem ad apostolicæ sedis culmen euexit. Postremo de electione Parmensis episcopi quid dicimus? loquar, an fileam? Sed iuxta scripturam *conceptum sermonem tenere quis possit?* Et certe vbi nuda veritas cernitur, temporis ignominia est, si commentæ fallaciæ deseruitur. Ipsi plane liquido nouimus anathematizatum esse Gerardum, nec ignoramus eius instinctu potissimum hunc episcopum in hoc negotium fuisse pellectum; & vt ita loquar, arbor quæ de venenata radice anathematis oritur, antequam perniciosum prorumpat in fructum, modis omnibus ne noceat euellatur, testante veritate, quæ dicit: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.*

*Defensor Romanæ ecclesiæ.*

Ecce audiuit beatitudo vestra, venerabiles patres, quoniam qui inspector est mentiû, confederat nos in concertatione verborum: videt enim nos malitiæ causâ configere, sed inueniendæ veritatis studio deseruire; ideoque dignatus est motam inter nos sopire querelam, & suam nobis inspirare concordiam: pax enim nostra, quæ fecit vtrumque vnum, conflauit & in eodem consensu corda duorum. Agamus ei gratias, qui prius † sagenam Petri periclitari permisit & turbine ventorum & procellis vndarum: sed ecce vt regrediens manum tetendit, Petrum erexit, ventis imperauit, & discrimina marina compescuit, confestim mare, quod in cumulos erigebatur, obruitur,

† Sagenam  
pro nauiculâ  
superius  
vsurpata a  
Petro Damiani,  
quibus intelli-  
gas eius esse  
hoc opus.



ANNO  
CHRISTI  
1062.tempestatu procella sedatur, ventorum turbo reprimitur,  
& aurea cæli facies serenatur.*Clausula dictionis.*

Amodo igitur, dilectissimi, illinc regalis aulæ consilia-  
rii, hinc sedis apostolicæ comministri, vtraque pars in hoc  
vno studio conspiremus laborantes, vt summum sacerdo-  
tium & Romanum simul confœderetur imperium, qua-  
tenus humanum genus, quod per hos duos apices in vtra-  
que substantia regitur, nullis, quod absit, partibus, quod  
per Cadaloum nuper factum est, rescindatur, sicque mun-  
di vertices in perpetuæ caritatis vnione occurrant, vt infe-  
riora membra per eorum discordiam non resiliant: & qua-  
tenus ab vno mediatore Dei & hominû hæc duo, regnum  
scilicet & sacerdotium, diuino sunt conflata mysterio; ita  
sublimes istæ duæ personæ tanta sibimet vnanimitate iun-  
gantur, vt quodam mutuæ caritatis glutino & rex in Ro-  
mano pontifice, & Romanus pontifex inueniatur in rege,  
saluo scilicet suo priuilegio papæ, quod nemo præter eum  
vsurpare permittitur. Ceterum & ipse delinquentes, cum  
causa dictauerit, forensi lege coerceat, & rex cum suis epi-  
scopis super animarum statu prolata sacrorum Canonum  
auctoritate decernat. Ille tamquam parens paterno sem-  
per iure præmineat; iste velut vnicus ac singularis filius  
in amoris illius amplexibus requiescat. Attalus plane rex  
Asiæ & Nicomedes rex Bithyniæ intantum Romanam  
republicam dilexere, vt vterque moriens Romanum  
populum testamenti reliquerit heredem.

Sanctæ ergo ecclesiæ principes quam propensiori in-  
uicem debent caritate congruere, quibus iniunctum est  
caritatem præcipue Christiano populo prædicare; vt ex  
eorum, qua procedat ex pietate concordia, sancta vni-  
uersalis gratuletur ecclesia, ac gemino vtriusque studio  
Christianæ religionis refloreat disciplina. Verum nos pi-  
scatoris nostri nauiculam ex hiatu Scyllæ voraginis extra-  
hentes, dum successorem Petri fidei labente vestigio mer-  
sum ad litora quæta deducimus, pium ereptori nostro  
celeusma cantemus: Te Deum laudamus; Te Dominum  
confitemur.

Haftenus synodalis disceptatio, cui in codice mox subscripti le-  
guntur hi versus:



*Vltio diuina, populi Cadaloe ruina,  
Te manet, vt diro medium transfuerberet ictu.  
Altipetax Simonem sequeris Simon astra petentem?  
Te quoque Tartareus simul absorbebit hiatus.*

ANNO  
CHRISTI  
1062.

CONCILIVM ARAGONIÆ  
IN HISPANIA ANNO CHRISTI MLXII  
celebratum tempore Alexandri papæ II.

NOTA.

Tempus &  
acta Con-  
cili.

\* *Concilium.* ] Septimo Kalendas Iulii in Hispania apud sanctum Ioannem Rupensem sub Ramiro rege est celebratum Concilium, multique episcopi in eodem congregati fuerunt. Quid autem in eodem statutum sit, nihil reperimus, nisi vt Aragonii episcopi fumerentur ex monasterio sancti Ioannis, quod antea per regem Sancium fuerat institutum. De huius institutione Concilii habentur acta in commentariis rerum Aragonensium apud Hieronymum Blacam, quæ incipiunt: *Residente glorioso principe*, &c. Vid eBaronium anno 1062. numero 120.

CONCILIVM ROMANVM I.  
CENTVM ET AMPLIVS EPISCOPORVM  
occasione Petri Florentini episcopi de hæresi & simonia accusati aduersus simoniacos celebratum anno Domini MLXIII. tempore Alexandri papæ II.

ANNO  
CHRISTI  
1063.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei omnibus episcopis catholicis, cunctoque clero & populo, salutem & apostolicam benedictionem.*

VIGILANTIA vniuersalis ecclesiæ regiminis assiduam sollicitudinem debentes omnibus quæ in Constantiana Synodo nuper celebrata coram centum amplius episcopis, licet nobis immeritis præsentibus, sunt canonicè instituta, vobis notificare curamus, quia ad salutem vestram executores eorum vos esse optamus, & apostolica auctoritate iubendo mandamus.

CAPITVLA.

I.

Primo namque inspectore Deo, sicut a sancto papa Leone,